



1665/9<sup>6</sup> 20.  
A3

J. J.  
An detur

# RESUSCITATIO MORTUORUM,

Problema Juridicum

ADRIANI BEIERI

U. J. D. curâ

*emissum*

---

JENÆ,

Typis & Sumtu GEORGII SENGENVVALDI,  
ANNO M. DC. LXV.



MS  
P 514





Am dem  
HERZOG  
VON  
SACHSEN  
PROBIR  
ADRIAN  
C. J. D. cur.

co  
tu  
in  
ru  
B.  
ho  
re  
t  
li  
cu  
(  
m  
q  
n  
re  
n  
te  
g







Q. D. B. V.

## Prolegomenon.

**A**rs imitatur naturam. Jus nostrum  
ars est, *l. i. in f. pr. ff. de J & J.* Et in to-  
to eo observare licet, Legumlatores &  
Ictos Romanos in actuum civilium de-  
terminatione, semper quid naturæ, jux-  
ta tum temporis Physicorum tradita  
conveniens fuerit, nihil v. ipsi adversum statuisse, in tan-  
tum, ut etiam propter diversas Philosophorum sectas Icti  
in alias atque alias partes abierint, cum quidam Stoico-  
rum doctrinæ magis, quidam minus adhærent, adserente  
B. Dn. Ungebauero in *Dissert. de error. Justin. th. 26.* Atq;  
hoc ipsum adserit Celsus in *l. 188. de R J. ubi in §. 1.* Quæ  
rerum naturâ prohibita sunt, nulla lege confirmata sunt.  
† Ac proinde qui per naturam progenerare non potest  
liberos, ei nec adoptivos permiserunt. §. 4. *J. d. adopt.* † Sic  
cum in scholis Physicorum clarum esset, superfœtationem  
(quæ etiam ex *l. 3 ff. si pars her pet.* colligi posse videtur, ubi  
mulier quatuor eodem tempore liberos enixa dicitur,  
quintum post diem quadragesimum) & ita perturbatio-  
nem sanguinis fieri posse, Salmuth. *ad Gvid. Panciroll. Nova  
repert. tit. 10. p. 506.* si intra annum luctûs nupserit,  
nubentem infamiâ notârunt, unâq; cum locante ducen-  
tem & quis ducere passus esset. *l. i. l. ii. §. 1. in f ff. de his  
qui not. infam.* non verò eam, quæ intra legitimum tem-

A 2

pus



3. p[ar]t[em] ediderit. *d. l. ii. §. 2.* † Auctoritate Hippocratis moti, septimò mense perfectum edi posse partum afferentis, talem legitimum esse pronunciant. *l. 12. ff. de stat. hom.* & immaturò tempore natus pro non nato habetur, nec fideicommissarium aut alios excludit. Mascard. *vol. 4. 2. de probat. conclus. 1090.* † Ex hypothese, quòd propria corporum affectio sit impenetrabilitas, quà duo corpora in eodem loco simul esse nequeunt, etiam duos in solidum possidere non posse concluderunt. *l. 3. §. 8. de acq. poss. l. 5. §. ult. Commod.* † Quoniam homo per rerum naturam & vitæ humanæ cursum ad centum annos vitam extendere potest. Bronchorst *misc. contro. cent. 1. assert. 86.* etiam usumfructu Ecclesiæ aut Universitati constitutum tantò tempore circumscripserunt. *l. 56. de usufr. & quem.* † Ex sententia Stoicorum, qui mortem tædio vitæ vel doloris impatientiâ, aliisve ex causis accersi posse statuerunt, *δύο χειρίαν* licitam censuere. B. Dn. Ungebaur. *d. Diss. à th. 14. ad 28.*
7. † Iidem à partu demum hominis animam advenire opinati sunt. Plutarch. *lib. 5. de placit. Philosoph. c. 15. & 26.* Senec. *Ep. 124.* Ergò nostris Jctis partus nondum editus propriè non est homo *l. 9. §. 1. ad L. Falc.* Sed spes tantum hominis. *l. 14. C. de fideic. libert. mulieris portio, vel viscerum. l. 1. §. 1. ff. de insp. ventr.* & ideò ne strictæ juris rationi insistentes injurii essent, libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei jura integra conservarent *l. 3. ff. si pars her. pet. Add. l. 36. D. de solut.*
8. ubi etiam autoritas Aristotelis allegatur. † Ecce titulus *D. de Edil. Edict.* num maximam partem Physicorum & Medicorum definitionibus superstructus est, ex quibus quando redhibitioni aut actioni quanti minoris, locus fit, cog-
9. nosci queat? † Dilucidè sanè hoc Alfenus ipse asserit in *l. 76. D.*



l. 76. D. de judic. nam in quaestione, an satis in eandem rem iudicibus, nonnullisque causâ aditâ excusatis inque eorum locum aliis sumtis, singulorum Judicum mutatio eandem rem, an aliud iudicium fecisset? rationem decidendi Philosophorum principio inniti, & absurdum esse, qui aliud statueret, demonstrat. Ait autem: quod si quis putaret partibus commutatis aliam rem fieri, fore, ut ex eius ratione nos ipsi non iidem essemus, qui ab hinc annô fuisset, propterea, quòd, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hæc quotidie ex nostro corpore decederent, aliæq; extrinsecus in earum locum accederent; Quapropter cuius rei species eadem consisteret, rem quoq; eandem esse existimari. † Et ex hoc Philosophorum principio etiam similes casus determinari, ut quos ipse subjicit, de legione & populo, qui semper idem manet, quamvis ex iis, qui ante aliquot annos fuerint, nemo nunc viveret. It. de nave refectâ sæpius, quòd eadem sit, quamvis nullam ex prioribus amplius reperire tabulam liceat, d. l. 76. add. l. 24. §. f. d. leg. 1. l. 10. §. 7. quib. m. ususfr. Adolescentemq; eundem esse qui infans subreptus esset. l. 67. §. 2. de furt. l. 13. D. de condict. furtiv.

† Cùm tandem etiam firmæ apud Philosophos sint assertiones: A totali privatione ad habitum non dari regressum. Teste Cujac. ad l. 23. D. de act. rer. amot. in tract. VIII. ad African. In natura corpus naturale non nisi semel produci posse. Ubi duæ productiones, ibi duas res productas numero inter se differentes esse. Effectus singulares pendere ab eodem numero agente, materiâ, tempore ac reliquis circumstantiis, quæ ad eius productionem concurrerunt, ut ita per eandem singularem actionem (quam & non aliam s. similem repetere impossibile est) idem singulare & individuum restitui non possit, aut re-





dire quod semel corruptum est. Quas ex Aristotele, Scalligero & aliis depromsit Casp. Bartholin<sup>9</sup> in *Controv. Anatom. quaest. An mortuorum resurrectio ex Philosophia & lumine natura solide probari queat?* Et à Stoicis etiam animas, quamvis propter igneam naturam aliquot seculis in aëre volitent superstites, tandem tamen ceu fumos dissipari creditum, uti refert totius Germaniæ Præceptor Philippus in *lib. suo de anima, sub fin.* non potuere non Ethnici articulum resurrectionis ( nisi forsan quidam mysterio Platonico fidem adhibuerint ) pro falso, impossibili, ridiculo, insano habere. † Et exinde verisimiliter concludi posse non repugnat, ex hoc principio Physico etiam nullam extinctorum jurium resuscitationem, ne quid in naturam committerent, admissam à Juris Romani Conditoribus fuisse, illosque quasvis potius, ne hujus occasione iniquum jus reddatur, fictiones induxisse. 13. Atq; hoc est, quod in præsens pro temporis & ingenii, quod exiguum est, ratione, exercitii gratiâ confirmatum ituri sumus, Idque in duabus potissimum sectionibus, in quarum primâ exempla, quæ nos potissimum eò induxerunt, secundum tria objecta juris exhibebuntur: alterâ verò, si quæ cui dubia suboriri posse putabamus, eâdem methodo eximere nobis cordi fuit. Tu B. L. conjecturam hanc nostram benignâ censurâ contemplare. Si & tuo accuratori judicio congrueret, esset sanè, de quo nobis gratularerur; sin minus, sufficiat nobis juridicam hanc materiam novâ quasi veste indutam orbi literato exhibuisse, & etiam ex Philosophiæ naturalis principiis LL. rationes depromi debere ostendisse. Ostende & tu, candide Lector, tuum favorem. Et tu, Deus, cœptis nostris clementer assiste!

SEC-



SECTIO I.

Negat de jure Civili jus extinctum  
resuscitari posse, idq; probat

CAPUT I.

De personis & eorum juribus exem-  
pla suppeditans.

Membr. I.

De Statu hominum in genere.

**I**N orbe Romano vivunt quasi, quæcunque ex jure  
Gentium suscepta aut certis solennitatibus & requisitis  
in juridicum esse introducta & animata conspiciuntur.  
B. Dn. Franzk. *in Comm ad §. 1. J. d. oblig. n. 4.* Requisi-  
ta enim illa formam ac animam negotiorum exhibent,  
& sicuti Philosophis essentia rerum sunt sicut numeri, nec  
potest aliquid addi aut detrahi, ut eadem definitio es-  
sentia maneat B. Dn. Stahl. *reg. Philosoph. s. tit. 1.* Ita eti-  
am unius requisiti absentia vel mutatione expirat, aut in  
aliud degenerat negotium. † Sic donatio mortis causa  
per clausulam: ne revocetur, definit esse talis, & fit do-  
natio simplex. *l. 27. de mort. caus. don.* depositum per usura-  
rum acceptionem mutui naturam asciscit. *l. 7. §. 2. D. de-  
positi.* Pacta contra substantiam contractus adjecta eum  
transformant. Magnif. Dn. Struv. *Ex. VI. th. 26.* & ita in  
sexcentis aliis. Unius enim corruptio est alterius genera-  
tio. † Homines in Rep. dicto modo viventes, dicuntur  
personæ, quarum anima, Status; eaque, sicuti hominis na-  
turalis est triplex. aut juxta alios tres subordinatas habet  
facultates, (quam controversiam nunc non facimus no-  
stram) tres habet gradus, Libertatem, civitatem, familiam.  
† Jam



4. † Jam quæritur, an tali animâ civili amissâ, ita civiliter mortuus (Intereunt enim homines maximâ & mediâ capitâ deminutione *l. 63. §. fin. D. pro soc.*) in statum pristinum resuscitari possit, ut videlicet servus ingenuitatem, deportatus civitatem, & emancipatus pristina familiæ jura recuperet? R. Negando. Contra naturam est, ut semel mortuus resuscitetur. † Nam servi per manumissionem efficiantur libertinæ conditionis. *l. 21. de stat. hom.* novæ penitus personæ. *l. 27. de adim. leg.* & statum, gradumque libertatis accipiebant, quem manumissor olim conferre volebat & poterat. Voluntas ex modo manumittendi colligere erat. Borcholt *ad §. 1. J. de libert.* & sicut etiam anima rationalis sensitivam & vegetativam complectitur, ita etiam jus familiæ consecutus per heredis institutionem eo ipso civis & liber fiebat. *§. 2. J. qui & ex quibus caus.* & cui tutela tanquam munus civile deferrebat, etiam necessario libertas competebat. *§. 1. J. qui test. tut.* Non poterat verò Latinus nisi Latinum efficere. *arg. §. ult. in f. J.*

*Libertas.*

5. *cod. ibi:* nec domini manumittentis. *§. 4. d. R. J.* † Quid? nec adoptando Patronus ingenuos facere potuit *l. ult. de Stat. hom.* & si intra quinquennium probetur servum vel libertum colludente dominò vel patronò ingenuum fuisse judicatum, is servus aut libertus ejus effectus est, qui collusionem detegebat. *l. 1. & seqq. de collus. deteg.* † Sicut etiam potestas dominica per manumissionem justam *l. 2. C. si advers. libert.* aut damnationem servi in metallum extincta resuscitari non poterat. *l. 8. C. d. sent. pass. & restit. §. 6. J. qui & ex quibus caus.*

6. *cod. ibi:* nec domini manumittentis. *§. 4. d. R. J.* † Quid? nec adoptando Patronus ingenuos facere potuit *l. ult. de Stat. hom.* & si intra quinquennium probetur servum vel libertum colludente dominò vel patronò ingenuum fuisse judicatum, is servus aut libertus ejus effectus est, qui collusionem detegebat. *l. 1. & seqq. de collus. deteg.* † Sicut etiam potestas dominica per manumissionem justam *l. 2. C. si advers. libert.* aut damnationem servi in metallum extincta resuscitari non poterat. *l. 8. C. d. sent. pass. & restit. §. 6. J. qui & ex quibus caus.*

*Civitas.*

7. † Idem etiam in iis quibus aqua & igni interdictum est, & deportatis obtinet, ita enim mortui *l. 4. de bon. libert. l. 1. §. pen. de bon. poss. contr. tabb.* spem revertendi non habent. *l. 7. §. 2. D. de interdict. & rel.*

† Et



† Et emancipati renunciassent censebantur omnibus *Familia*  
familiae juribus. *Andler. ad tit. 7. quibus m. jus p. p. solv. & 9.*  
per adoptionem efficere non potest avus, ut nepos in filii  
emancipati potestatem recidat. *l. 41. D. de adopt. prior*  
enim sinitas per emancipationem extincta resuscitari non  
poterat.

### Membr. II.

### De nuptiis & tutela.

**J**us connubii, quod inter cives Romanos certo gradu di-  
stantes aut penitus diversarum familiarum, vigeat,  
*arg. §. 1. §. 6. & 9. Inst. de nupt.* si extranei incipiebant  
esse invicem cognati, etiam civili modo per adoptionem,  
extinguebatur. An cessante adoptione rursus revivisce-  
bat? Minimè verò. *d. §. 1. inf. † Matrimonium contra-*  
ctum extinguebatur morte, divortio, captivitate vel alià  
contingente servitute utrius eorum. *l. 1. D. Divort. item*  
deportatione. *l. 65. sol. matrim.* hoc non resuscitabatur;  
etenim non sicut pater filium ipso jure postliminii in po-  
testatem recipit, ita maritus uxorem. *l. 8. ff. de captiv. &*  
*postlim.* Sed si ea volens revertebatur ad maritum, novo  
consensu novum fiebat matrimonium. *Cujac. ad Nov. 22.*  
*vers. Tertia causa.* Hoc tamen ab Imperatoribus mutatum  
fuit, ut captivitate non amplius solvatur, si certum sit, su-  
peresse captivum; si incertum, ex *Const. Constantini* sa-  
tis fuit spatium quadriennii ad praesumendam mortem.  
*l. 7. C. de repud. ex Novell. verò Justin. 22. c. 7. quinquen-*  
*nium. Mascard. d. l. concl. 1077. n. 4.* quod rursus sublatum  
per *Nov. Leon. 33.* ubi connubio districtè interdicitur ei,  
qui in civitate mansit, altero hostium potito, donec cer-  
tum de morte ejus nuncium acceperit. † Ex dotis pro-

B

missi.

† Et





- missione orta obligatio extinguitur, si sponsa nolit ita, tunc tertio interea nubat; & non reviviscit, licet priori postea nubere velit. *l. 58. pr. ff. de j. dot.* † Dos per constitutionem animata, Magnif. Dn. Strauch. *Diss. III. aph. 2.* Solutio per divortium matrimonii expirat, *l. 3. ff. de j. dot.* & non resuscitatur revertente muliere *l. 6. eod.* Sed denuo constituenda est. *l. 63. d. t.* tacite tamen renovata censetur, si ea non advocata discesserat. *l. 40. d. t.* nam brevi reversa uxor nec divertisse videtur. *l. 48 de R. J.* † Condicio: Si liberi non fuerint procreati, pactis dotalibus adjecta, si natiuitate liberorum extincta semel fuerit, iis postmodum decedentibus non renascitur. Dn. Carpzov. *P. 2. C. 43. def. 15.* quod tamen secus in ea: Si sine liberis. *ib. def. 14.* † Ubi testamentaria tutela locum habet, legitima extinguitur; haec non reviviscit, quamvis excusatus aut remotus testamentarius fuerit, sed dativa locum habet, *l. 11. de testam. tut.* † Matri & aviae concessum jus tutelae, si contra renunciationem Scto Vellej. & secundis nuptiis factam ad secunda vota nihilominus transierit, expirat. *Nov. 22. c. 40.* nec reviviscit, licet mox alter maritus decedat. *Nov. 94. c. 2. in fin.* durat enim semel contracta suspicio. arg. *l. 3. §. 8. de susp. tut.* nec suspensionem per satisfactionem tollere, aut resuscitare jus tutelae potest *l. 6. eod.*

## CAPUT. II.

### De Jure rerum:

#### Membr. I.

#### De Jure in re.

**Dominio.** **I**ntereunt res, cum aut nullius fiunt, aut conditionem mutant, neque enim ejus rei, quae jam nullius est, quisquam socius est, inquit Ulpian. *in l. 63. §. fin. pro soc.* Ita extinctae regulariter non possunt resuscitari; res enim in sacrum dedicatae, ad profanum usum rursus adhiberi, obligat.



obligari aut vendi nequeunt, *l. 21. C. de SS. Eccl. §. 8. J. d.*  
*R. D.* Unde etiam rem, de qua controversia est, prohibe-  
mur (*L. XII. Tabb.*) in sacrum dedicare; alioqui dupli poe-  
nam patimur: ut videlicet adversarius solatium habeat,  
quod potentiori adversario traditus sit, & ita invitus re-  
sua carere debeat. *l. ult. D. de litigios. †* Similiter cujus  
agrum totum novus alveus absumit & ita publicum fecit <sup>2.</sup>  
*l. 14. inf. pr. D. quibus m. ususfr. am. l. 7. §. 5. D. d. A. R. D.*  
licet ad priorem alveum reversum fuerit flumen, non ta-  
men ejus, cujus ager fuerat, resuscitatur dominium, quia  
ille ager, qui fuerat, desit esse, amissa propria forma, *l. 7.*  
*§. 5. d. A. R. D. l. 9. §. 3. ad exhib. Dn. Carpz. p. 3. C. 31. def.*  
*41.* Sed eorum esse incipit, qui prope ripam ejus prædia  
possident. *d. l. 7. l. 23. & seq. quem. ususfr. amitt. †* Ex-  
tingvitur etiam & amortizatur res, præsertim Feudalis, <sup>3.</sup>  
quando ex dispensatione & indulgentia Principis in ma-  
num mortuam transfertur, quales sunt Ecclesiæ, Civita-  
tes, Universitates aliaq; Collegia, quæ quia perpetuò vi-  
vunt, sec. ea quæ diximus *in proleg. n. 10.* in eorum mani-  
bus (quæ mortuæ per metonym. dicuntur) extingvi qua-  
si ac sepeliri censetur dominium directum. Videtis Andr.  
Rhamdor. *in Disp. suâ inaugurali de amortizatione bonorū.*  
& quos ibi laudat, Peckium. *tract. d. Amortizat.* & alios.  
† Dominium J. Gentium animatum amittitur penè  
iisdem modis quibus acquiritur in contrarium actis. *l. 153.*  
*d. R. 7.* Sic jus prioris domini extingvitur per alterius usu-  
cipationem, quæ tanquam jus contrarium *arg. l. 100. d. R. 7.*  
contra negligentem dominum usucapienti conceditur,  
ne rerum dominia incerta essent. *l. 1. ff. d. usurp. &*  
*usucap. amissum verò & extinctum non resuscitatur. †* Et  
arbor radicitus eruta & in alio solo posita, si coaluit, agro <sup>5.</sup>  
cedit, & ad priorem dominum non revertitur, & si rur-



6. sus eruta fuerit, *l. 26. §. 6. d. A. R. D.* † It. per donationem translatum & extinctum. *§. 40. J. d. R. D.* resuscitari non potest regulariter, *l. 5. 6. C. d. revoc. donat.* Hinc ne quis facile ad magnam summam donandum inducatur, (iniquum esset donationem non rescindere eo casu) LLatores insinuationem, ut voluntatis donandi veritas appareat, introduxerunt. Hilliger ad Donell. *l. XIV. c. 33.* † Donatio verò ipsa, beneficio *l. 8. C. de revoc. donat.* propter supervenientiam liberorum extincta, non reviviscit, licet fortè liberi vivò donatore rursus decesserint; sive res donata nondum tradita; aut tradita quidem, sed statim post nativitatem lib. repetita fuerit ejus possessio, s. non, tamen etiam post mortem liberorum repeti potest. Nobiliss. Dn. Schröter, *Præceptor atque Patronus meus plurimum honorandus ad d. l. 8. in Resolut. suis Difficilior. LL. Cod.* † Usucapio, quæ per continuationē possessionis ad justum dominium quasi excrecit, eā vel per usurpationem *l. 2. d. t.* vel per captivitatem interruptā *l. 23. §. 1. & 2. d. A. R. D.* extingvitur, & non redintegratur, nec recuperari post limitio potest, quia facti est. Nicol. Vigel, *Method. J. Civ. lib. 9. 25. c. 17. reg. 7.* † Et quamvis possessio recuperetur, usucapionis tamen tempus de novo à recuperatione possessionis est numerandum. Magnif. Dn. Struv. *Præceptor atq. Patronus meus æternum colendus in Syntagm. J. Civil. Exerc. XLIII. th. 27.*

Servitu-  
zibus.

- † Servitutes semel aut interitu prædii *l. 14. quem. serv. amitt.* remissione domini expressâ, *l. 6. §. 1. eod.* vel tacitâ *l. 8. d. t.* per non usum. *l. 10. l. 18. eod. tit.* & usucapionem libertatis, *l. 4. §. f. de usucap.* aut confusionem extinctæ. *l. 1. quem. serv. amitt.* Vigel, *d. l. lib. 8. c. 3.* non respirant, sed de novo nominatim rursus imponendæ sunt. *l. 30. D. de S. M. P. l. 10. Comm. prædior.* alioquin libera veniunt



neunt prædia. † Et usufr. (præter alios modos, quos tit. ii. ff. quibus m. usufr. vel us. am. recenset,) per mutationem s. interitum rei extinctus l. 53. ff. de usufr. non redintegratur, quamvis ædibus restitutus. l. 10. §. 7. quibus m. usufr. am. l. 36. pr. d. usufr. † It. si quis usumfr. extraneo cedat & 12. jus suum personale resignet. l. 66. D. de j. dot. Nam quamvis in extraneo non inveniatur ubi pedem figat, tamen quoniam semel abdicavit usufructuarius, non ad se revertitur, sed ad proprietatem delabitur. † Sic etiam Emphyteuta si per triennium pensionem solvere cessaverit, jus suum amittit. l. 2. C. de jur. Emphyt. nec celeri satisfactione moram purgare & resuscitare jus amissum jure civ. potest LudW. Disp. XIII. th. 8. lit. d. n. 2. inf. per l. 12. C. d. contr. stip. l. 23. D. d. O. & A.

† Testamentum perfectum aut evertitur factō testatoris, per testamenti incisionem, cancellationem, aut signorum revulsionem. l. 1. ff. de his, quæ in test. del. l. fin. ff. d. inj. rupt. & irr. l. 12. l. pen. C. de test. It. per posterius perfectum, aut militare, aut non perfectum, in quo ab intestato successuri instituti sunt. l. 2. D. de inj. rupt. & ita semel mortuum non reviviscit, quamvis ex posteriore nullus heres extiterit. §. 2. J. quibus m. test. infirm. † Aut is expirat si filius præteritus sit, aut suus heres testatori agnascatur. l. 1. d. inj. rupt. & irr. & licet filius post mortem patris voluntatem ejus probando ab hereditate abstinuerit. l. 17. eod. aut posthumus natus illicò decesserit. l. 12. d. t. non tamen restitui ruptum, evidentissimi juris est. l. 2. C. de posth. her. inst. l. 36. §. f. d. test. mil. † Vulgaris substitutio 16. per hereditatis aditionem ab herede primo gradu instituto evanescit. l. 5. C. de imp. & al. substit. & licet fortè minor contra factam aditionem in integrum restituatur, tamen substitutio per aditionem semel extincta non reviviscit.

Hereditatibus testamentariis.





cit. d. l. s. l. ult. d. success. edict. l. 7. §. 10. D. de minor. Dn.  
Schnobel. Diss. ad w. XVI. §. 25. Magnif. Dn Strauch. Dif-  
10. fert. IX. aph 26. † Pupillaris verò pubertate adveniente  
expirat. §. 8. J. d. pup. subst. aut si filius vivò testatore in  
potestate esse definat, vel ab hostibus capiatur. l. 41. §. 2. ff.  
de vulg. & pup. subst. eo verò revertente, ne resuscitatione  
opus esset, jure postliminii semper adfuisse fingebatur. l. 28.  
& seq. d. t. l. 10. §. ult. de captiv.

*Legitimis*

- † Quam diu speratur successio testamentaria, cessat  
11. legitima. l. 8. C. comm. de succ. Ideoque per aditionem  
scripti heredis extingvitur successio ab intestato, nec re-  
viviscit, quamvis heres indignus nunciatur, & ipsi rursus  
aut hereditas tota, si extraneus; aut deductà legitimâ, si ex  
iis personis sit, qui de inofficioso queri possunt, auferatur.  
Cujac. ad Novell. 1. sed fisco sua cū causa applicabatur. Præ-  
12. laudatus Magnif. Dn. Struv. Ex. XXXV. th. 94. † Jure ta-  
men Novell. ejusmodi hereditas non statim fisco vindica-  
tur; sed substituto primùm, aut si non adsit, coheredi; hoc  
deficiente, fideicommissario, posthac legatariis & fidei-  
commissariis rerum singularium; porrò manumis in te-  
stamento, post legitimis heredibus; deinde cuilibet ex-  
traneo; si, quod præceptum est per testantem, implere ve-  
lit; actandem fisco defertur; non tamen jure substitutio-  
nis, accrescendi, cognationis seu successione ab intestato;  
interemta enim omnia sunt hæc jura per scripti heredis ad-  
itionem, sed beneficio Nov. 1. uti fufius hoc declarat, ad d.  
13. Novell. † Ipsum verò jus adeundi expirat, si intra annum  
animum non declaraverit aditurus, & regressus non da-  
tur. l. 19. C. de J. delib. si verò adierit, hoc ipso repudiandi  
arbitrium extingvit. Cujac. ad l. 46. D. de acquir. her. in  
tract. 1. ad African. Qui enim semel suscepit hereditatem  
perpetuò heres manet. §. fin. J. de her. qual. & semel repu-  
diatam



diatam postea acquirere nequit. *l. 4. C. de repud. vel abst. her.* † Si quis tamen plures habet aditionis titulos subor-<sup>14</sup> dinatos, tunc eo ordine potest ex uno delatam repudiare, & ex altero adire. *l. 17. §. 1. l. 60. de acquir. vel mitt. her.* Sin disparatos, unius electione alterius sibi aditum præcludit. *l. ult. C. de Codicill.* † Extingvitur etiam successio ab in-<sup>15</sup> testato per capitis deminutionem maximam & mediam. Borcholt. *ad §. ult. J. de cap. min.* amittunt enim jus cognationis, qui servi fiunt, aut in insulam deportantur. *§. 6. J. d. i. quæ per manumissionem non resuscitatur. d. §. & l. 7. D. unde cognati.* † Legata infirmantur in totum ademptione <sup>16</sup> vel expressâ *pr. J. de adempt. leg. vel tacitâ*, ex alienatione voluntariâ (*l. 18. ff. de adim. vel transf. leg.*) præsumtâ, nec tamen convalescunt, quamvis donatio non valuerit, quâ res legata alienata fuit. *l. 24. inf. d. t.* aut si vendita redempta fuerit. *l. 15. eod.* nisi legatarius novam testatoris voluntatem probet. *d. l. 15. & l. 11. §. 12. de leg. 3.* † Ita etiam lega-<sup>17</sup> tum, in quo servus relictus est, extingvitur, si testator servum manumiserit, & non resuscitatur, quamvis iterum in servitutem inciderit. *l. 27. §. 1. de adim. vel transf. leg.* † Nec <sup>18</sup> fideicommissum purum diu non petatum & ita tacitè remissum resuscitari permittitur. *l. 26. D. de probat.*

### Membr. II.

## De jure ad rem.

Quilibet ab initio liberum habet contrahendi arbitrium. Nam qui pecuniam creditam accepturus spondit creditori futuro, in potestate habet, ne accipiendo se ei ex mutuo obstringat. *l. 30. d. R. Cr.* Et commodati modum finemque præscribere ejus est, qui beneficium tribuit. *l. 17. §. 3. C. Commod.* Et ab imperfecta em-  
tione



tione sine poena recedere licet. *pr. J. d. emt. vend. l. 7. §. 6. de pact.* Mandatum etiam & absentis negotia non susci-  
 2. pere cuilibet liberum est. *l. 17. C. de procurator.* † Liber-  
 tas verò illa conventionem perfectam extinguitur. *§. 11. J. mandat. d. l. 17. §. 3. Comm.* quam resuscitare h. e. renunciare  
 semel constitutæ obligationi puræ alterâ parte non  
 consentiente nemo potest. *l. 5. C. de obl. & act.* aut repro-  
 bare, quod semel probatum. *l. 9. D. de neg. gest. c. 21. de R. J. in 6.* Aut mutare consilium in alterius injuriam. *l. 75. d.*  
 3. *R. J.* † Hinc qui pecuniam mutuam accepit, non potest  
 aliter se liberare, nisi tantam, quantam computatione jux-  
 ta valorem nummorum tempore contractûs datorum in-  
 stitutâ accepit, summam restituat, quamvis interea forsan  
 valore deminuti fuerint. *Magnif. Dn. Struvius Exerc. XVI. th. 31.* nisi certæ monetæ species determinata fuerit:  
*Id. d. l. th. 33.* re enim acceptâ periculum sustinet, nec ejus  
 4. interitu liberatur. *§. 2. J. quibus m. re contr. obl.* † Sicuti  
 nec datum statim potest revocari, sed spatium aliquod ju-  
 dicis arbitrio definiendum debitori ad usum rei concedi  
 5. debet. *Wesenb. par. ff. d. R. Cr. n. 13.* † It. postquam  
 quis commodavit, tunc retrò agere, atque intempestivè  
 usum commodatæ rei auferre, aut absentis negotia suscep-  
 ta deserere *d. l. 17. §. 3. ff. Com. mandatum negligere, §. 11. J. mand.*  
 6. aut ab emtione venditione resilire impunè ne-  
 mo potest. *l. 8. ff. de solut.* † Et qui semel furto ad poenam  
 & infamiam se obligavit, non potest per poenitentiam  
 factum infectum reddere. *l. 43. §. 3. ff. d. rit. nupt. l. 63. ff.*  
 7. *de furt.* † Et non prodest ei, qui vi rapuit, ad evitandam  
 poenam, si ante judicium restituat rem quam rapuit. *l. 5. ff. vi bon. rapt.*  
 sed tenetur ad dandum aut præstandum id, ad  
 quod se obligavit. *l. 3. d. O. & A.* si verò factum præstare  
 nolit, aut rem dare nequeat, ad id quod interest. *l. 13. §. 1. d.*

re ju.





*re judic. l. 16. C. mand.* In delictis verò qui non habet in ære  
luat in corpore.

Et sic non potuit conditionem, in qua ante con-  
tractum fuit, resuscitare.

† Obligatio verò ipsa extinguitur rursus vel ipso ju- 8.  
re; In genere quidem per solutionem vel veram ac natura-  
lem, vel fictam s. imaginariam, quæ acceptilatio dicitur.  
Magnif. Dn. Struv. *Ex. 47. th. 67.* It. novationem *l. 1. pr. d. novat.* Confusionem, *l. 7. C. de pact. l. 21. de liber. legat. l. 29. § 1. 2. de jur. fisc.* Compensationem, *l. 2. de compens. interitum speciei debitæ sine culpa debitoris contingentē, l. 23. & 83. § 5. d. V. O. capitis deminutionem l. 2. de cap. min. & oblationem & depositionem debiti. l. 19. C. de usur. l. 9. C. d. solut.* † In specie verò obligatio ex conventionē, con- 9.  
trariò consensu, *l. 2. ff. de resc. vend. l. 1. C. Quand. lic. ab emt. disced.* vel ope exceptionis v. g. pacti, *§ 3. J. d. V. O. rei judicatæ, tit. D. de exc. rei jud. præscriptionis, t. t. de divers. temp. Præscript.* Et ita extinctæ obligationes reviviscere & resuscitari non possunt. Magnif. atque Nobiliss. Dn. Ordinarius, *ad l. 25. C. de pact. per l. 98. § 1. 8. ff. de solut. l. 9. ff. de Pr. V. l. 4. C. de pact.*

† Ex delicto nata obligatio moritur morte naturali 10.  
delinquentis, *l. 1. pr. D. de priv. delict. l. 2. & 3. C. si reus. vel acc. mort. fuer. præterquam in crimine perduellionis § 3. J. de publ. jud. l. 6. l. fin. C. ad L. Jul. Majest.* † Et si quis in- 11.  
juriam neglexerit, non potest semel remissam per pœni-  
tentiam resuscitare, *§ fin. Inst. de injur. l. 11. § 1. ff. eod.* † It. 12.  
si reus actori id, quod injuriæ nomine petere poterat, sol-  
verit, *l. 17. § 6. d. t. aut cum reo super crimine capitali transegerit. l. 18. C. de transact.* Et qui objicit crimen à Principe remissum, vel jam punitum, omninò injuriarum tenetur, *arg. l. ult. § ult. C. d. sent. pass. & rest. Dn. Lud W.*  
C Disp.



13. *Disp. XV. 6. g.* † Et hoc in tantum verum est, ut non  
refuscitetur obligatio, quamvis forsan. (1) famulus exi-  
genda pecuniae præpositus chirographum domino sub-  
ripiens debitum in fugâ exegerit. Magnif. Dn. Strauch.  
*Dissert. XVII. aph. 3.* (2) homo, in quo obligatio percapi-  
tis deminutionem extinguebatur, restitutus fuerit statui  
pristino. *l. 30. de O. & A.* (3) res in commercium redeat. *l.*  
*83. §. 5. d. V. O. l. 98. §. 8. de solut.* (4) in novatione posteri-  
or stipulatio sit inutilis. *§. 3. quibus m. toll. obl.* aut (5) dele-  
gatus non solvendo. *l. 3. in f. C. de novat. l. 96. §. 2. de solut.*  
(6) pignus per alienationem consensu creditoris extin-  
ctum ad debitorem postea redierit. *l. 4. l. ult. C. de remiss.*  
*pign.* sicuti nec (7) pignus in solutum à Creditore acce-  
ptum & postmodum evictum fuerit, pignoris obligatio  
non reviviscit: quoniam semel à contractu pignoris dis-  
cessum, *l. 24. ff. de pign. act.* nec novam ad debitum & pig-  
nus persequendum, sed utilem ex emto actionem habet.  
*d. l. 24. & l. 4. C. de evict.*

14. † Ne tamen, quod ita naturæ congruit, iniquitatis  
arguatur, aut dum æquitas refuscitari quandoq; liberta-  
tem recedendi, pristinam obligationem pristinaque jura  
postulabat, articulo fidei suæ Ethnicæ contrarium statue-  
rent, aliud ad naturæ analogiam inducere remedium:  
Videntes enim in natura nō omne solum quibuslibet her-  
bis, frugibus, vitibus arboribusq; aptum esse, sed si in illud  
femina condantur, plantæ inferantur &c. nullum vigo-  
rem accipere, & si germinare incipiant, in herba tamen  
deficere, multasq; foeminas naturâ steriles esse *l. 14. §. de*  
*adil. Edict.* etiam personas quasdam ita inhabiles inve-  
nerunt, à quibus, quia facile lædi posse constat, fructus &  
effectus obligationis injustè posceretur, ut videlicet con-  
ventionibus præcisè stare tenerentur. Ne ergo à talibus

super

super  
tionu  
mè id  
x. de  
tate p  
ff. d. R  
l. i. pr  
aliis t.  
locat. r  
sis fac  
exten  
servat  
contra  
& imp  
Ponti  
niter g  
veritas  
ordina  
vocab  
quam

Q  
nem n  
bus pr  
Nam  
non ta  
lis orit



super resuscitationibus liberæ recedendi facultatis, obligationum, juriumq; amissorum, implorarentur, sapientissimè id præcaverunt, quod etiam Pontifex monet. *c. 1. X. de serv. non ordin.* † Et impuberes sine tutoris auctoritate *pr. J. de aut. tut. l. 7. §. 1. de resc. vend. furiosos, l. 5. ff. d. R. J. prodigos, l. 6. d. V. O. filiosfamiliâs ex mutuo. l. 1. pr. ad SC. Maced. fœminas, militesq; intercedentes pro aliis t. t. ff. & C. ad SC. Vellejan. l. 8. §. 1. qui satis d. l. 31. C. locat. ne quidem obligari civiliter posse voluerunt, aut ipsis factam solutionem, præsertim si nummi non amplius extent, agnoscere. § 2. J. quibus al. lic. salvam potius conservaturi, quàm extinctam reducere. † Et ita omnia, quæ 16. contra jus fiunt, pro infectis habentur. *c. 64. d. R. J. in 6. & impossibilibus l. 15. in fin. D. de condit. instit.* Quin & Pontifex dicit: quicquid ab inhabili persona agitur, inaniter geritur; cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autè non subeat in effectu. *c. 4. X. de consuet. & servi ordinationem, qui per ingratitudinem in servitutem revocabatur, pro nulla declarat. c. 2. X. de serv. non ordin.* quamvis characterem per ordinationem acceperat.*

### CAPUT III.

#### De judiciis & actionibus.

Quod hæctenus de personarum & rerum juribus diximus, quod in frontispicio posuimus, quasi apud veteres Juris Conditores post realem extinctionem non admitta fuerit resuscitatio; Idem etiam ex juribus processuum, judiciorum & actionum stabiliri potest. Nam quamvis jura & obligationes quis sibi adquisierit, non tamen semper adversarius, quod debet, præstat: hinc oritur i. e. jus clarum per mutuò intercedentes obligationes,



tiones, laciones, dolium, culpam, vigilantiam, ignorantiam, negationem ita confunditur & perturbatur, ut quale simplex præponderet, quid meum tuumq; sit, cerni non possit, nisi ope judiciariæ operationis. † In quâ similia, quæ ari extrahendo & purgando adhibentur, institui debent. Hoc enim sicut non solum primò per lotiones à terra intermixta separatur, sed & quod subsidit meri æris, igni, ut vitia excoquat, inditur, ut tandem per separationem  
3. quantum cuiusq; metalli adsit, patefiat. † Sic etiam in iudicio, seu potius in iure, patescit, an quod actor de suo iure intermixtum esse asserit, ita insit, ut facile, per exceptionem forsan peremptoriam dilui, an verò adeò involutum & confusum, ut non nisi per varias disceptationes secerni possit, an verò ita exiguum sit, ut eam discriminari operæ  
4. pretium non censeatur. † Sic æra, in quam officinam semel illata sunt, difficulter & cum magno detrimento rursus eximuntur semel suscepta, nisi minus idonea demonstretur, aut ibi factum, quod ab ea officina expectari poterat. Et ita etiam lis: in quo foro discuti eam semel actor elegit, non potest in aliud, si hoc competens sit, transvolvi citatione impetrata. §. ult. *J. de pæn. tem. litig. l. 30. l. 34. D. de iudic.* aut impunè relinquere. *Vultej. Jpr. Rom. lib. 2. c. 1. lit. 1.* Sed debet concedere, ut etiam in eodem iudicio adversus se per reconventionem  
5. experiatur. † Et sicut in una officina non omnium vilioris pretii metallorum separatio suscipitur; ut, ubi argenti discretionem ab auro aliisque metallis tractant, ferri curam non habent, sed eò ubi propria habentur ad rudes hæc materia instrumenta ablegantur, quin si tanta est confusio, ut in priore explicari nequeat, alii officinæ, in qua accuratior ratio habeatur, committitur, multis in instrumentis  
6. ta operarios & ignis pabula impensis. † Ita etiam non omnes

mnes i  
Prator  
celle et  
efficaci  
dum p  
Consti  
ctæ, ta  
nem di  
bant, pr  
debant  
dam co  
transire  
P. in su  
titas ni  
erc. 352  
di oblig  
tos.)  
adl. 35.  
probat.  
quidem  
enim et  
tur, & t  
procel  
ubi de  
non et  
tur, &  
ibid. Ca  
ones p  
atq; cu  
lia, qui  
re. d. p  
gotior



omnes in iudicio promiscuè recipiuntur lites; levia enim  
Prætor non curat, nec etiam ( uti Chymicis observare ne-  
cesse est, ne obsoletas species adhibeant, quarum vis &  
efficacia evanuit ) jura præscripta & antiquata ad agen-  
dum profunt. † Olim quidem ex LL. Sctis & sacris 7.  
Constitutionibus quæ competebant actiones, civiles di-  
ctæ, tamdiu, quamdiu per rei solutionem aut præstatio-  
nem dissolutæ & extinctæ non erant i. e. perpetuò vige-  
bant, *pr. J. d. perpet. & temp. act.* & nullo tempore exclu-  
debantur. † Tempus enim est saltem quasi spatium quod 8.  
dam commune, per quod omnes creaturas æquis passibus  
transire oportet. Excellentiss. Dn. Weigel, *Mathem. P.*  
*P. in suo specul. Temporis, §. 2. & seqq.* quod tanquam quan-  
titas nihil agit, nec generat, nec corrumpit. Scaliger *Ex-*  
*erc. 352.* ( & idcirco etiam non est inter modos tollen-  
di obligationes *in tit. Inst. quibus mod. toll. oblig. recens-*  
*tos.* ) Sed extra res, & earum saltim affectio, Giphani,  
*ad l. 35. d. R. J. n. 3.* † Nisi forte an senescentes ex defectu 9.  
probationis expirare tandem oportuit, & ita in tempore  
quidem, sed ex alia tamen causâ interiøre, † Probatio 10.  
enim est tanquam humidū radicale jurium, quo nutriun-  
tur, & facta recta, quod dici solet, conservantur, & anima  
procelsum. Mascardi, *de probation. in proæm. q. 1. n. 12.* quæ  
ubi deficit, perinde est, ac si illud, quod non probatur,  
non esset. *c. 1. distinct. 1. de consecrat. l. 30. D. de test.*  
*tut. & qui non probat, jure carere dicitur. Id. Masc.*  
*ibid. Conf. Nov. 111.* † Postmodum verò sacræ constitui 11.  
ones perpetuitatem istam ad certos terminos redegerunt,  
atq; cuilibet actioni, ut litium aliquis esset finis, sua fata-  
lia, quibus elapsis, vis earum vitæq; civilis expiret, posuê-  
re. *d. pr. J. d. perp. & temp. act.* ( Hæc pro diversitate ne-  
gotiorum diversa fatalia cum à Magnif. Dn. Struvio





- Exerc. XLVI. th 28. & seqq. Cujacio, tract. de divers temp. prescript. & term. & in Dissert. jurid. de Tempore, sub Præsidio Nobiliss. Dn. Schröteri, ante annum in alma hac Salaâ habitâ, satis superq; exposita sint, ne actum agam, hinc prolixus esse nolo.)* † Sicut etiam actiones prætoriaræ ple-  
12. ræque propter annum imperiam annales erant. *d. pr. f. de perp. & temp. act.* † Si E. actio aut lis tanti temporis silentiõ sopita ac mortua est, *l. 2. ff. jud. solv.* non solum amplius moveri non debet. *l. 3. verb. nullum jus C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Sed & si quis nihilominus eas ausit repetere, reo jus elidendi i. e. exceptionem præscriptionis, quâ tanq. telo, se tueri, & quod restat vitæ extinguere possit, tribuerunt. *t. t. ff. de divers. & temp. præscr. l. 45. in f. D. de adm. & peric. tut. cujus relaxatio ne quidẽ à Principe impetrari, l. 2. C. de præc. imp. off. quid ẽ tempore liberatus, si solverit, solum condicere potest. l. fin. ff. rem. rat. hab.* † Similiter quando actiones per extinctionem obligationum (quæ, quibus modis fiat *cap. præced. membr. 2. n. 8.* retulimus, ) semel interiøre: Ex obligationibus enim sublatis nulla amplius datur actio. Vultej. *Jurispr. Rom. lib. 1. c. 52* aut renunciatum actionibus fuerit, amplius repeti nõ possunt. *l. 2. D. ad SC. Turpill. l. 15. §. 5. D. ad L. Jul. de adulter.* † Repetiturus verò, exceptione solutionis, compensationis, actionis non competentis &c. summovetur.  
15. *Magnif. Dn. Struv. Ex. XLVI. th. 9.* † Si quis ex pluribus actionibus electivè concurrentibus unam elegerit, altera perimitur, nec potest resuscitari, quamvis per illam non obtinuerit, quod intendebat. *l. 9. §. 1. D. de tribut. act.* Sed viam, quam semel elegit, ambulare debet. *l. 21. §. ult. quod met. caus.* † Si etiam servus alienus furtum tibi fecerit, aut noxiam commiserit, & is postea in tua potestate esse cæperit, furti & noxalis actio extinguitur, & non resuscitatur, quam



quāvis ex tua potestate exierit. §. 6. *J. de noxal. act. l. 43. §. ult. ff. de furt.* † Et si pater (modò non sit vilis persona) 18. injuriam filio factam remiserit, actio injuriarum tali modò extincta, à filio post remissionem emancipato repeti nequit. *l. 17. §. 12. & 13. l. 5. §. 6. D. de injur. l. 30. de pact.* † An 19. verò si in periculo mortis constitutus in confessione Sacerdoti facta remittat injuriam, cōvalescens actionem rursus possit intentare? Distingv. Dd. an offensam remiserit tantum, an verò expressè actionem? Et si semel remissa sit actio, resuscitari non posse concludunt. Magnif. Dn. Strauch. *Dissert. XIX. aph. 15.* Dn. Lud Well. *Disp. XV. th. 7. lit. d.* remittentibus enim actiones suas, non est regressus dandus. *d. text.*

† In ipso judicio, per probationis injunctiōē facultas 20. probandi vitam & esse accipit usque ad certum terminum, qui probatorius dicitur; quo elapso jus probandi expirat, quod resuscitari non licet.

† Tota verò lis & controversia, quando per præstationem juramenti à parte adversà delatā, aut sententiam, quæ res judicata facta, decisa & extincta est, nec prætextu novorum instrumentorum retractari conceditur. *l. 5. §. 2. l. 31. D. de jurejur. l. 35. D. de rejud. l. 4. C. eod.* † Aut 22. quis semel ab accusatione destiterit, postea enim ad accusationem admitti nequit. *l. 3. 4. C. ad SC. Turpill. l. 3. D. eod.* aut etiam liti motæ renunciatum fuerit. Nam terminatas & extinctas lites instaurari, juris ratio: utpote quæ naturæ quoad punctum resuscitationis innititur, juxta ea, quæ in prolegomenis diximus) non permittit. *l. 4. C. de pact. l. 6. l. 13. l. 16. C. de transact.* & ibi Magnif. Dn. Ordinarius in  *suis Comment. ad dict. LL.*

SEC.



## SECTIO II.

### CAPUT I.

De jure personarum occurrentia dubia proponit & solvit.

Membr. I.

Antitheses.

Videtur tamen assertum nostrum, videl. personarum, rerum, negotiorum, obligationum, actionum & judiciorum semel extinctorum resuscitationem non dari, non admodum firmò stare talò. Nam

(1.) quod statum ejusq; species attrinet, fit à Principe restitutio natalium & semel extinctæ ingenuitatis. *l. 10. §. 13. de injus voc.* hodieque omnes manumissi fiunt ingenui. *Nov. 78.* Item civitatis & juris familiæ *tit. C. de sent. pass. test.* quod repugnat *sect. 1. cap. 1. membr. 1. n. 4.*

(2.) Rescinditur libertas & resuscitatur potestas dominica *l. 5. §. 2. qui & à quibus man. lib. non fiant.* si sc. in fraudem creditorum manumissus quis fuerit, quo ipso convertitur, quod *ibid. n. 7.* assertum fuit.

(3.) Actione ingrati non solum liberti ad ministerium domini antea emortuum rursus coguntur; aut emtori addicuntur, ut pretium patronis tribuatur *in l. 2. C. de libert. eor. lib. l. 6. §. 1. de agnos. & al. lib.* Oldendorp. *class. IV. act. 20.* sed & liberi emancipati in patriam potestatem. *l. un. C. de ingrat. lib. revocantur.* Hilliger *ad Donell. lib. 11. c. 24. contra eundem n. 7.*

(4.) Operæ libertæ per consensum patroni in nuptias amissæ, cum defierit nupta esse, rursus peti possunt. *l. 14. de operis libert.*

(5.) Emancipatus per adoptionem rursus fieri potest

est su  
stat. d.

natura  
resurg

l. 8. ff. d.

dere v

Age, a

n. 1. all

emort

indivi

num

indivi

lia fun

nuitat

atam

dend

indivi

genui

tem, c

mortu

fit; Re

vicini

ceptò

tium

li intr

poena

bantu

Et ca

restit



est *stat. l. 1. pr. l. 12. de adopt. l. 1. §. 2. D. d. suis & legit. quod ob-*  
*stat. d. memb. 1. n. ult.*

(6.) A patre adoptativo dimissus rursus in patris  
naturalis revertitur potestatem, h. m. tanquam è mortuis  
resurgentem. *l. 10. in fin. pr. C. de adopt. &*

(7.) Status per captivitatem ab hostibus extinctus  
*l. 8. ff. de testam. postliminio recuperatur.*

### Solutio.

Hæc tamen, quæ membrum primum dubium red-  
dere videntur, tanti non sunt, ut nos aliter sentire faciant:  
Age, ad singula respondeamus. Ad illud igitur, quod  
*n. 1. allatum*, dicimus: Non illam ipsam ingenuitatē olim  
emortuam hoc ipso è campis Elysiis reproduci atque in  
individuo restitui à Principe, sed subjectum noviter inge-  
num fieri, adeoq; ex genere ingenuitatis nova actuum  
individua tribui; quæ, quia superioribus per omnia simi-  
lia sunt, eadem esse videntur; & sic personam potius inge-  
nuitati redditam, numeroq; ingenuorum vicissim associ-  
atam esse, quàm ingenuitatem extinctam reviviscere cre-  
dendum est. Ingenuitas ergò circulus est, cui salvâ illâ  
individua eximuntur, & vicissim inseruntur, ut nihil in-  
genuitatis mori aut resuscitari necessum sit. Positò au-  
tem, quòd status reverâ in hominibus istis extinctus &  
mortuus fuerit, ut ita necessariò resuscitatio admittenda  
sit; Respondemus tamen, quòd hoc à JCr̄is Christianismo  
vicinioribus admisū: tum, quòd non jure ordinariò & re-  
ceptò; sed contra tenorē rationis, auctoritate Constituē-  
tium h. e. Majestate & quasi Omnipotentia quâdam civi-  
li introductum sit. *per l. 16. D. de LL* non enim deportati  
poenæ veniam impetrantes semper in integrum restitue-  
bantur, nisi quibusdam expressis generaliter subjiciatur:  
*Et ceteris omnibus. Cujac in parat. ad tit. C. de sent. pass. &*  
*restit.* Ideoq; hæc tanquam singularia non sunt produ-  
cenda

D

cenda





cedenda ad consequentias. *l. 14. eod. l. 141. d. R. I.* Quòd verò hodie omnes manumissi ingenuitatem accipiunt, non pristinam, quam habuere, sed de novo vitâ civili animantur, & novæ personæ fiunt; nova enim productio, novum ens facit *vid. supr. in prolegom. n. 12.*

Ad (2.) Respondemus, iis casibus libertatem non reverâ, sed spem saltem acceperant, Nobiliss. Dn. Præsès *in Dissert. Jurid. de spe. sect. 2 c. 3. § 6. n. 2.* usucapiendæ libertatis, si fortè creditores iure suò uti nolint. Andler. *ad tit. Inst. quib. ex caus. man. non lic. vers. igitur.* Actus enim manumissionis, querulantibus creditoribus, erat ipso iure nullus, propter *L. Æl. Sentiam. pr. J. d. t.* quæ tali manumissione magis non extingui voluit dominicam potestatem, quàm extinctam resuscitare.

Ad (3.) Actio ingrati specialibus constitutionibus vitam civilem accepit, & tanquam jus parentibus & patronis tributa est; non tamen ut patriam aut dominicâ potestatem resuscitarent; sed ita ut beneficiò emancipationis aut manumissionis ablatò & rescissò, ingratos damnò libertatis multarent. *l. un. C. de ingratis lib.* Aut potius Lex, uti in aliis beneficiis, præsumit non ita absolute jus patrium aut dominicum quem abdicasse, sed sub conditione, quatenus gratos se exhibituri sint, arg. *l. 3. C. d. revoc. don. de quo infra c. 2. m. 1. n. 4.* libertatem concessisse.

Ad (4.) In eo casu non in totum renunciavit; sed saltim; quoad matrimonium constitit, s. conditionaliter remisit operas. *l. 13. §. ult. l. 28 ff. de oper. libert.* quoniam hæc in officio mariti esse debet. *l. 48. eod.* Qua ratione cessante, quò minùs peti rursus possint in *d. l. 14.* nihil obstat: nondum enim extincta, nec resuscitari opus habent.

Ad (5.) Accipit suitatem, sed non recipit eandem quam ante habuit, & cum prioribus effectibus: per ea quæ diximus *ad dubium 1. in fin.* Ad 6.



Ad(6.) Respondetur, quod patris naturalis potestas non fuerit extincta; non enim abdicativè patri adoptivo, sed subordinatè tradidit potestatem patriam; nec voluit filium liberum, sed sub potestate esse; filius etiam suberat patri adoptivo, non simpliciter, sed propter imperium patris naturalis, qui tam largè & quasi cum privilegio de non appellando suam in vicarium patrem transtulit potestatem, & ita quando cunque concessa potestas desinat, prior, quæ adhuc vivit, rursus se exerit, & ita etiam ex L. Romuli filius non nisi post trinam venditionem, qua etiam jus necis emtori tribuebatur, paternis nexibus liberabatur. Ulpian. *in fragm. tit. 10.* Similis etiam quandoq; potestatis concessio fit, quando parentes artificibus liberos informandos credunt.

Ad (7.) In eum finem introductum est postliminium, ne, quod resuscitari æquum esset, contra naturæ ordinem fieri deberet; ideoq; potius tempus captivitatis non numerârunt, captivitatis & reversionis conjungendo, *l. 5. §. 1. l. 12. §. 16. de capt. ac postl.* Adeoque non tam promoveretur, quàm præcaveretur per postliminium resuscitatio.

## Membrum II.

### De nuptiis & tutela

#### Antitheses.

I. **J**us connubii per supervenientem ex adoptione cognationem legalem inter fratres & sorores extinctū, eâ vicissim dissolutâ, reviviscit.

§. 2. *J. d. nupt.*

(2.) Si mulier, quæ diverterat, reversa fuerit, matrimonium redintegratur, *l. 19. sol. matr. l. 14. inf. D. de captiv.*

D 3

(3) Fun-



(3.) Fundus dotalis inæstimatò datus, qui propter impensas necessarias talis esse desierat. *l. 5. pr. de imp. in rem dot. iis restitutis ad dotis causam revertitur. l. 56. in fin. D. de j. Dot.*

(4.) Reviviscit tutela legitima per testamentariam exclusâ, si testamentarius tutor in vivis aut civis esse desierit. *l. 11. §. pen. & ult. de test. tut.*

(5.) Mater & avia propter secundas nuptias à tutela liberorû exclusâ admitti rursus possunt, si antea tutelæ ratione redditâ alium petierint tutorem, ac nullus alius adhuc constitutus sit. *Dn. Hahnus in Dissert. de tutela matris. th. 63.*

### Solutiones.

Ad(1.) Respondemus, Pater non adoptat filio sororem; sed quam ut filiam adoptavit, filius pro sorore habere debet ex ejus imperio, quamvis non velit. *arg. l. 4. d. R. J.* & ita non extinctum est jus connubii, sed saltem propter confusionem nominum à patre impeditum, qui eandem personam filiam & nurum appellare non poterat. *§. 2. d. J. nupt.*

Ad(2.) Respondemus distingv. Aut n. diu abest, ut de divortio constet, & tunc de integro, novò consensu matrimoniû initur. *d. text.* uti etiam supra in *sect. 1. h. membr. n. 2.* ostendimus. Aut brevi revertitur, & tunc nec divortisse videtur. *l. 33 ff. de rit. nupt. l. 3 ff. de divort. l. 48. de R. J.* cum enim momentum non sit tempus, in considerationem non venit: & sic nec ususfructus momentaneus profufr. habetur. *l. ult. §. ult. de bon. qua. lib.*

Ad(3.) Fundus dotalis talis esse desinit propter jus quasi retentionis, *§. 30. J. de act. Magnif. Dn. Struv. Exerc. ad Pand. XXX. th. 60.* non tamen verè dos esse desinit: nam non per modum compensationis retinet; quo casu fateremur,

jus



ius extingvi & per consequens resuscitari, sed per modum pignoris. Ast verò pignus apud creditorem non nocet dominio debitoris, nec potest usucapi. Schnob. *Disp. XII. §. 12.*

Ad (4.) Ibi non extincta fuit tutela legitima; utpote eo, qui ex testamento tutor esse debebat, mortuò, aut capite minutò, ante mortem testatoris, qui tali casu, quoad tutelam intestatus decesit, destitutò quippe testamentò suò, quantum ad tutelam attinet. §. 2. *J. de legit. agn. tut.*

Ad 5. Admitti quidem potest mater aut avia, non tamen ipso jure aut vi legis, ut non possit repudiari; sed noviter, tanquam extraneus alius ex arbitrio judicis, si viderit idoneam: adeòque dativa magis fit, quàm legitima, & sic minime reviviscit.

## CAPUT. II.

### De Jure rerum.

#### Membr. I.

#### Antitheses.

**R**es sacræ redimendorum captivorum, famis &c. causà *l. 21. C. de SS. Eccl. & Nov. 65.* It. alteri Ecclesiæ, integræ; reliquis verò qui sacra possidere nequeunt, confractæ & conflata vendi possunt. *c. 70. XII. q. 2. & ita ad commune commercium rursus respirant. Cōtra n. 1.*

(2.) Resuscitatur dominium agri per occupationem fluminis extinctum, si eodem impetu flumen recedat *l. 23. D. quibus mod. ususfr. amitt. l. 30. §. 3. D. de A. R. D. add. l. 1. §. 9. de itin. act. priv. Dn. Strauch. Diss. VI. aph. 44. Contra num. 2.*

(3.) Quæ alienis ædificiis connexa sunt, quamdiu juncta manent, eorundem ædificiorum sunt; simulatque

D 3

inde





inde demta, continuo in pristinam causam revertuntur. l. 39. D. de Rei vind. Contra num. 5.

(4.) Per donationem extinctum rei dominium, per supervenientiam liberorum resuscitatur. l. 8. C. de revoc. don. Id quod adversatur, n. 6.

(5.) Rescissa & extincta donatio per d. l. 8. rursus reviviscit, si rei donatæ possessione non repetitâ liberi rursus decesserint, ac tantum temporis supervixerit donator, quo potuisset, quod donaverat, repetere, nec tamen fecit. arg. l. 12. ff. inj. rupt. l. 1. & ult. C. de revoc. don. Magnif. Dn. Struv. Exerc. XL. th. 10. Hoc obstat, n. 7.

(6.) Servitus reviviscit per confusionem temporalem extincta. Jam laudat, Magnif. Dn. Struv. Exerc. XIII. th. 53. inf. Quod pugnat cum num. 10.

(7.) Servitus altius tollendi per interpositionem ædium intermediarum extincta, his depressis renascitur. l. 6. ff. si. serv. vindic. Contra eund. num.

(8.) Resuscitantur jura, obligationes & actiones per restitutionem in integrum atq; alia judicia rescissoria iis, qui vel dolô adversarii, aut ætatis lapsu, vel absentia vel justô errore aut aliâ de causâ, quæ excusationem meretur, læsi sunt, Manzius tract. de restit. in integr. tit. 1. n. 33. Contra n. 4.

(9.) Emphyteusis quando per non solutionem canonis intra statutum tempus amissa est, resuscitari & mora purgari potest, si ante factam domini declarationem Emphyteuta canonem offerat, Magnif. Dn. Struvius Ex. XI. th. 73.

(10.) Testamentum per capitis deminutionem testatoris ruptum convalescit, quando testator rursus sui juris fiat, & ita decedat. §. 6. J. quibus m. test. infirm. arg. l. 85. d. R. J. Magnif. Dn. Struv. Ex XXXII. th. 45. Contra n. 14. hujus membr. in sect. 1.

(11.) Re-



(11.) Resuscitatur substitutio per aditionem insti-  
tuti extincta, si minor contra aditionem restitutus sit in in-  
tegrum. Idem *Ex. XXXIII. n. 17. q. 4. Contra num. 16.*

(12.) Exemplaris substitutio discessione morbi ex-  
incta *l. 9. C. de imp. subst.* eo redeunte reviviscit. Sutholt.  
*Dissert. VII th. 50. & ibi Nobiliss. Dn. Schröter Antecessor in almâ hâc Salana famigeratissimus, Præceptor atq; Pa-  
tronus meus æternum colendus, in notis.*

(13.) Jus adeundi & abstinendi ab hereditate adita  
vel repudiata restituitur minoribus per restitutionem in  
integrum. *l. 7 §. 5 ff. de minor. Manz, d. tract. tit. 2. quest.  
9. Quod est contra num. 13.*

(14.) Restitutus contra omissam hereditatem ad  
adeundum, iterum contra aditam ad emittendum resti-  
tuitur, prælaud. Magn. Dn. Struvius *Ex. IIX th. 46.*

(15.) Per emancipationem extinctum jus succe-  
dendi ab intestato Prætor resuscitabat Edictô Unde liberi.  
*§. 9. J. d. her. quæ ab intest. def. contra n. 15. Et tandem*

(16.) Legatum per intervenientes inimicitias ad-  
emptum secutâ reconciliatione redintegratur. *l. 4. D. de  
adim. vel transf. leg. contra d. membr. n. 16.*

### Solutiones.

Verum ad hæc dubia in specie respondemus, & quidem

Ad (1.) quod res sacræ aut sint mobiles aut immobiles:  
Mobiles non possunt integræ vendi nisi aliis Ecclesiis; &  
hoc modô manent ut antea extra commercium, & nullius:  
Aliis verò non nisi contractæ & conflata, *6. 70 XII. q. 2.*  
quia verò contractæ formam amittunt & sacræ esse desi-  
nunt. *d. l. 21. Dn. Andler. ad tit. J. de R. D. n. 9.* consequen-  
ter ut res sacræ haud veniunt rursus in commercium. Im-  
mobilia bona illa amortizata, quæ videl. amplius de unâ

id





in aliam viventium manum transire non possunt, si seculari usui reddantur, tantum abest, ut resuscitetur habitas & qualitas illa prædii pristina, quam ante amortizationem obtinebat, ut potius de novo rebus, quæ sunt in patrimonio, rursus inseratur. (werden weltlich gemacht. Possimus etiam dicere, quod in his casibus jure novò exceptiones ab antiquâ regula ab Impp. Christianis constitutæ sint, uti facit Nicol. Vigel. *Method. Jur. Civ. Lib. III. c. 6. n. 3.* quas Pontifex canonisavit *d. text. vid. quod dixi ad dub. 1. in fin.* Verùm non opus est, ut resuscitari dicamus.

Ad(2.) Non resuscitatur dominium agri, quod flumen occupando interverterat; sed potius ager ille à flumine tanquam censitore antè ex privato in publicum addictus, ex publico in privatum rursus, ita recedendo, addicitur. Cùm hic prioris dominiò str. j. interemtò, occupationi rursus pateret, Respubl. ex benignitate pristinum dominum admittit. Magnif. Dn. Struv. *Ex XLI. th. 32.* eo casu enim quem *l. 30. d. A. R. D.* proponit, flumen inter, viamq; publicam jacebat ager, & nullus erat vicinus, cui jure vicinitatis obvenire, aut per alluvionem accrescere potuisset.

Ad(3.) Non planè fuit extinctum dominium prioris; sed saltim cessabat petitio rigni propter LXII. rabb. quæ eximendi necessitatem remittebat, & manebat ille dominus materiæ, quatenus talis, non verò quatenus pars domûs est; pars enim cedit toti. Sin rursus materia fiat, & duplum nondum solutum, hujus dominium pristinas vires recipit. Sicut etiam non reviviscit dominium rei dotalis, quando solutò matrimoniò ad mulierem dos redire dicitur, sed maritus erat saltem rei quatenus dotalis dominus, mulier verò corporis. *l. 36. C. de J. dot. l. 5. pr. d. imp in res dot.* E. etiam in hac specie nullam resuscitationem statuerunt. Ad 4.



Ad(4.) Hæc i. s. est singulare beneficium Majestatis, quæ præsumit orbem sub conditione tacitâ donâsse, id minimè facturum, si liberos sibi nascituros cogitâset, hæc igitur existente, donatarius nullum jus amplius habet, & donans possessionem vindicare potest, sicut in aliis donationibus sub conditione factis. *l. 1. pr. de don. tit. C. de donat. quæ sub mod. vel. condit. vel cert. temp. confic. & ibi Cujac. & ita non tam extinctum, quam sub conditione translatum esse dominium fingit. Quale jus etiam liberis est querela inofficiosa donationis, & dotis, quam ad legitimam suam supplendam instituere possunt. t. t. C. de inoff. donat. & tit. de inoff. dot.*

Ad(5.) Hoc, uti jam dictum, est beneficium, at invito beneficium non datur *l. 69. ff. de reg. J.* non tamen reviviscit, ut si velit donator repetere, donatarius recusare possit. Sed quoniam nullo jure cogente rem apud donatariû relinquit, & non reposcit, de novo donasse. *arg. l. 82. d. R. J. aut pro derelicto habuisse videtur. arg. §. pen. J. de R. D.* qui etiam in ipsa donatione huic beneficio renunciare poterat. Hilliger ad Donell. *lib. XXIV. c. 32.*

Ad(6.) Respondemus, quod hoc verum sit de jure Prætorio, non verò jure civili, non quidẽ quasi Prætor e-mortuam servitutem reducere voluerit, potius non passus est extinguai, (cum enim ut *supra sect. 2 c. 1. membr. 2. ad 2. dub.* diximus, momentum non sit tempus, nec illud attendere voluit.) Nam heres fiduciarius non suscipit hereditatem animo sibi habendi, nec vult heres esse, quia ad alium transferre vult hereditatem *l. 6. d. R. J. & ne quid. videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alteri restituere. l. 51. eod.* sed agit saltem proxenetam, qui (tanquam machina, quâ e. g. merces ex navibus in terras exponuntur, ) hereditatem defuncti ad fidei

E

com-



commissarium transferat. Quid E. opus resuscitatione,  
ubi nulla mors præcesit. Necessarium tamen fuit cum  
protestatione restitutionem hereditatis facere, non ut  
noviter per hanc servitutum imponat, sed ut præsumptio-  
nem taciti pacti, quasi liberam tradiderit, excludat *l. 30. de  
serv. u. præd.* At utiles actiones ad restaurandam servi-  
tutum dantur, *l. 7. ff. de fund. dot.* & doli exceptio, si lega-  
tarius non velit pati, ut servitutes rursus imponantur *l. 18.  
D. de servit.* Resp. non est novum, ut remedium restitu-  
torium, quale etiam est interdictum, Unde vi, etiam ei  
detur, qui rem planè non amisit, sed tantum prohibetur  
liberè uti & possidere. *l. 11. ff. de vi & vi arm. l. 3. §. 4. in f. ff.  
uti possid.* Sicut etiam error communis hanc peperit opi-  
nionem, quasi nobis auferatur honor, quem ad Palinodi-  
am actione, quam rei persecutoriam dicunt, nobis resti-  
tui postulamus. Sinold. aliàs Schük. *Disp. ad Inst. XIX. th.  
13. lit. a. in f.*

Ad (7.) Negatur servitutum illo casu extinctam fu-  
isse, sed actio confessoria seu vindicatio servitutis ædibus  
intermediis stantibus cessavit, non enim poterat actor  
interesse probare, servitus verò in suspenso erat propter  
spem depressionis intra tempus constitutum. *d. l. 6. si serv.  
vindic.* B. Dn. Franzk. *Comment. de serv. n. 36. in f.*

Ad (8.) Ejusmodi restitutiones omnes contra jus ci-  
vile specialiter & correctivè animatæ apud prætorem vi-  
tâ honorariâ gaudent, nec per eas dominium pristinum  
civile s. Quiritarium resuscitatur, ex hoc enim compe-  
teret Rei vindicatio, cum tamen utilem saltem in rem a-  
ctionem à Præatore accipiat. Quid? Præator non dicit se  
prius jus extinctum restitutum, ne quid cõtra naturam  
moliri videatur, sed ab interitu conservatum, & in Re-  
fessoriâ permittit dicere: adversarium suum non usuce-  
pisse,



pisse, quod usuceperit § 3. *J. de act.* in Paulianâ : eam rem traditam non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse. §. 6. *J. eod.* quando per cap. demin. obligatio creditoris extincta Jure Civ. erat, perinde, quasi id factum nō sit, judicium dat. l. 2. §. 1. *D. de cap. min.* quod metus causa gestum, ratum non habet. l. 1 l. 21. §. 1 l. *quod met. caus. & c.* ac tandem nemo exclusus, i. e. nulla facultas contrahendi, nullum jus, nulla obligatio extincta videtur, quam Prætor in integrū se restitutorū pollicetur. l. 5. *de in integr. rest.* Et ita etiam à Prætoris satis religiosè evitatum fuit, ne per strictum jus injuriâ quis afficiatur, neve directò contra naturæ cursum quid statuat, aut impossibilis propositio ex ejus Edicto elici possit. Et proinde etiam in eodem negotio plus quàm semel restitutionem non decrevit, nisi novæ aliquæ defensiones prætendantur. l. 3. *C. si sapius in integr. l. ult. §. pen. & ult. C. de bon. qua lib.* vid. *infr. ad dub. 13. h. membr.*

Ad (9.) Mora purgari potest de jure Can. ubi Emphyteusis non ipso jure, si solutio canonis facta non fuerit, expirat, sed demum per sententiam declaratoriam, atque hoc jure oblatio canonis non tam resuscitat extinctam, quàm expiraturam refocillat.

Ad 10. Resp. Quod testamentum perfectum non ab una saltē Juris Civilis specie solennitates & requisita (quæ, ut *sect. 1. in pr.* diximus, hîc pro anima habentur) accepit, sed tripertitum sit, ac triplici quasi animâ instructū. § 3. *J. de test. ord.* Hinc quamvis una civilis videl. expiraverit, ut si forsân per Reg. Caton. de J. Civ. fugata fuerit, animâ tamen prætoriâ, septem videl. signâculis illo casu adhuc sustentatur, hujus intuitu validum pronunciat, & qui petit hereditatem, non heres, sed bon. possessor declaratur. Schnob. *Disp. ad Pandect. XVI. th. 14.*



Ad (11.) Per illam minoris aditionem jure Prætorio non verè extincta fuit substitutio, sed potius ob incertum respectu minoris aduentis eventum, quasi in suspenso relinquitur, & adhuc vivit, Magnif. Dn. Struv. *Ex. XXXIII. hb. 17. ad n. 5.*

Ad (12.) Resp. Si furor redit, & in totum non discessit, adhuc furiosus est, semper enim non furiunt, sed sua intervalla habent, Gothofr. *ad l. 98. §. 8. D. De solut. & lib. lit. f.* Tali E. modo non potest extincta videri substitutio, multò minus resuscitari.

Ad (13.) Hoc fit jure Prætorio, quod restitutiones has introduxit, nec contra abstentionem restitutus minor pristinas & directas, sed novas prætorias & utiles accipit actiones *l. 7. §. 10. in f. D. de minor.*

Ad (14.) Prætor multis beneficiis succurrere minoribus promisit in Edicto, se videl. tam contra lucrosam amissam, quàm aditam damnosam illos restitutum. *l. 44. ff. de minor.* Uno E. præstito, non petit minor, ut contra restitutionem rursus se restituat, sed ut alterum etiam beneficium sibi impertiri velit.

Ad (15.) Prætor non resuscitat jus succedendi, sed pro non extincto habet, & fingit emancipationem inutilem. *l. 6. §. 5. d. bon. poss. Calvin. in Lex. Jurid. verb. Rescisio. in fin.*

Ad (16.) Ex inimicitiis præsumitur saltem ademptio legati, quæ per contrariam ex reconciliatione desumptam facile elidi potest. Nic. Vigel. *Dialect. jur. lib. 3. tit. de except. præsumt. p. m. 489.* Nullà Ergò resuscitatione opus est in illo, quod revera nondum vixit, nec mori potuit.

*Membr,*



*Membr. II.*

**De jure ad rem.**

**Antitheses.**

1. **L**iberum contrahendi arbitrium per conventionem perfectam extinctum resuscitat Prætor iis, qui vel metu compulsi, vel dolo inducti, vel alia de causa se civiliter obligaverant. Manzius *d. tract. tit. IV. & V. quod adversatur n. 2. d. membr.*

2. Rescindebatur Emtio venditio ex Edicto ædilitio per actionem redhibitoriam: & licet per æstimatoriam, seu quanti minoris actionem non integer contractus tollatur, emtori tamen facultas contra suam conventionem veniendi restituitur. *l. 13. d. act. emt. l. 1. C. de edil. act. Cujac. in parat. ff. de Ad. Ed.* Et ad hujus pene Exemplum

3. Ultra dimidium læsis per *l. 2. C. de resc. vendit. vel ad rescindendum contractum, vel inæqualitatem supplendā succurritur. Giphon ad l. 10. d. R. J. n. 8 quod est contra n. 5.*

4. Reviviscere videtur obligatio per aditam à Creditore hereditatem debitoris confusa & extincta, si hereditas rursus vendatur. *J. 2. §. pen. ff. de her. vel act. vend. quod est contra n. 8.* aut

5. Creditori heredi hereditas per querelam inofficiosi evincatur. *l. 95. §. 8. ff. de solut. l. 21. §. 2. d. inoff. test. l. 22. C. d. t.*

**Solutiones.**

Ad (1. & 2.) Jam supra *sect. 2. c. 2.* in responsione *ad n. 8.* responsum est quò brevitatis ergò me refero.

Ad (3.) Hac lege tanquam singulari beneficio, quod jam olim obtinuerat, ordinariâ jurisdictione simplicitati succurritur, quâ tanquam jure contrario jus adversarii infringere possunt. *arg. l. 100. d. R. J.* Novum quippe non est, remediâ prætorâ & extraordinaria civitate donari,



& in assiduam jurisdictionem converti, uti v. c. jus ante-  
rum annulorum, *Nov. 79.* successio cognatorum, *Nov.*  
*118.* querela inofficiosi, praescriptio servitutum & c. Ma-  
gnif. Dn. Struv. *Ex. XIII th. 39. inf.* olim speciali impe-  
tratione indigebant.

Ad (4.) Videtur hic idem obtinere, quod *supra sect.*  
*1. c. 2. n. 10.* de servitutibus confusis asseruimus, sicuti  
videl. de novo imponi debebant, ita & inter alia vendito-  
rem suum debitum expressam protestatione includere de-  
bere. Servandum enim est, quod actum, *per l. 2. §. 1. d.*  
*her. vel act. vend.* quamam videl. quantitas hereditatis  
spectata fuerit in venditione, an ea, quae fuit mortis tem-  
pore, & hoc casu confusio locum non habet, quoniam  
emtor vicem heredis sustinet immediatè, & venditor non  
adiisse fingitur. *l. 9. comm. praed.* & sic adhuc salvae sunt o-  
bligationes. an ea, quae fuit tempore aditionis aut ven-  
ditionis, & tum aut expressè suum debitum salvum  
cupit, eamque conditione ac pacto hereditatem vendit, ut  
tam ceteris creditoribus, quam sibi, in eo, quod sibi debe-  
retur, si eam hereditatem non adisset, satisfaceret emtor,  
& ne tunc quid. pristinam, utpote confusione extinctam  
actionem instituere, sed novam, & vel ex stipulatu, vel si sti-  
pulatio non intervenit, praescriptis verbis actione, quod  
sibi à defuncto debebatur, ab emtore consequetur. *l. 7. C. de*  
*pac. & ibi Magnif. atq; Nobilif. Dn. Ordinar. n. 30.* aut absque  
ulla mentione sui debiti simpliciter venundat, & credi-  
tur illud in summam pretii imputasse.

Ad (5.) Respondetur, quod eo casu quidem extinctae  
obligationes, sed sub tacita conditione, si in effectu man-  
surus sit heres, ideoque creditor petere potest debitum ac  
si hereditatem nunquam adisset. *l. 21. ff. de inoff. test.* & ea-  
tenus saltem cessasse videntur ejus obligationes, quate-  
nus hereditatem tenuerit. Et non dissimile arg. est in *l.*  
*98. §.*



98. §. 8 ff. de solut. ubi Papinianus. Si navem quam tu promissisti dominus dissolverit, deinde iisdem tabulis compegerit, teneri te, hic enim eadem navis est, quam te datum spondidisti, ut videatur obligatio magis cessare, quam extincta esse, sicut etiam in §. seq. servus captus promissus interim peti non potest, sed si redierit postliminò, rectè tunc petetur. Vid. ibid. Gothofred. in not. lit. h. in suspenso E. haecenus magis fuit, somno sepulta, non verò penitus extincta. Facile E. resuscitari à somno potest. Hodie hæc de confusionibus obligationum ferè steriles videntur controversiæ, cum hodie propter beneficium inventarii amplius non confundantur, & heres ultra quàm est in massa hereditatis non teneatur, sed similem cum extraneis creditoribus fortunam habeat. l. ult. §. 9. C. de J. delib. Andler ad tit. J. d. Falcid. n. 7. Magnif. Dn. Richter Comm. ad tit. C. de part. in l. 7. n. 33.

### CAPIT. III. De judiciis & actionibus. Antitheses.

**I**N judiciis, triplices potissimum mortes contingere, actionum proponendarum, probationum inducendarum, & totius litis, eosq; irrefuscitabiles esse d. cap. III. Sect. 1. proposuimus. Ecce sequentia nihil magis in toto jure resuscitari posse, actuq; resuscitari ostendunt. Nam

1. Quod actiones concernit, eadem (nihil minus ac alia amissa jura) sive per lapsum temporis, sive ex aliis causis civilibus extinctæ fuerint, per in integrum restit. resuscitantur. Magnif. Dn. Struv. Exerc. IIX. th. 3. n. 3.

2. Quamvis incarceratus tempore dimissionis ex  
carce-



carcere juraverit se nolle injuriam illam ulcisci, persequi, aut vindicare, tamen resuscitatur per juramenti relaxationem jus agendi, Finckelthaus. *observ. 9.*

3. Actio dotis per pactum, ut *præsenti die dos redderetur* immutata, per posterius pactum, ut *tempore ei legibus dato dos redderetur*, pristinae suae formae restituitur. *d. l. 27. §. 2. D. de pact.*

4. Reviviscit per transactionem sopita actio *d. l. 19. C. de transact.* Item querela inofficiosa, si fides transactionis non servetur *l. 27. D. de inoff. test.* aut fraude heredis scripti, querela deserta fuerit. *l. 21. eod.*

5. Si legatarius vindicationem elegerit, & non poterit probare heredem possidere, vel dolo malo possedisse, & propterea succubuerit, non prohibetur actionem ex testamento, quam per electionem vindicationis repudiaverat, resuscitare. Magnif. Dn. Struv. *Exerc. XLVI. th. 93.* quod tamen n. 16. *præced. cap. 3.* repugnat.

6. *Jus probandi* quamvis termino probatorio elapso, ita mortuum fuerit, ut ne quidem in continenti mortuam purgare Dn. Carpzov. *in Process. tit. 13. art. 1. n. 109.* nec additionales, vel testes alios ac novos, quorum nomina articulis intra terminum oblatis non fuerunt apposita, prioribus adjungere, nec directorium testium examinandorum mutare. *Id. d. l. n. 114.* nec variare, & ad probationem per documenta convolare licere. *ib. n. 135.* quid? ne quid. *refusis expensis ac præstitâ actione de lite prosequendâ ad actionem iterum aditum consequi posse dicatur. Ibid. n. 48.* resuscitari tamen potest, si citra culpam producentis omnes vel pleriq; saltem testes mortui fuerint, aut morâ forsan à judice vel parte adversâ injectâ, vel pendente controversiâ super testibus ad testificandum cogendis terminus sit elapsus. Carpz. *d. l. n. 127.* aut

etiam





etiam morbo fontico, peste, bello &c. impeditum se esse probaturus probet, quò in termino productionis comparere, & probationem expedire potuerit. id. *ibid.* n. 106. & 172. It. si favor causæ singularis id exposcat. Gail. 1. O. 105. n. 5. & 107 n. 11. & seqq. & si modo jus partis alterius deterius factum non sit, adhuc à poenâ moræ & contumaciæ se defendere, l. 8. *si quasi caut in jud. sist.* l. 26. C. de fidejuss. Dom. Arumæus lib. 1. decis. 2 n. 16. testesq; alios offerre ac nominare potest.

7. Admittuntur etiam elapso termino propter beneficium restitutionis in integrum ad probandum rùm majores, qui ex justâ & ad restitutionem sufficiente causâ veniam merentur, l. 1. §. 1. ff. ex quib. c. maj. veluti ob paupertatem. Gail. 1. O. 142. n. 1. It. consortes & heredes minorum Dn. Carpz. d. l. tit. 19 art. 2. n. 30. 38. Universitates, utpote minorum jure circa passum restitutionis, utentes. Id. d. l. n. 184. It. ut personæ favorabiles, mercatores, b. n. 190. & mulieres in causa dotis illatæ. n. 191. Et dominus, cujus procurator, qui tamen solvendo non est, terminum præterlabi passus est, ad probandum restituitur. Dn. Schnob. Disp. a. d. III. th. 20. in f. & ibi Nobiliss. Dn. Præses in not.

8. *Tota lis & causa per sententiam definitivam decisa & extincta unâ vel alterâ parte in illa non acquiescente alibi per remedium supplicationis; in Electoratu & Ducatibus Saxonix per Leutationem; aut, ut & in terris Imperii per Appellationem sententia à viribus rei judicatæ suspenditur, & quasi in vitam lis reponitur.* Dn. Carpzov. d. l. tit. 17. in præfat. sin transierit in rem judicatam sententiæ, superest remedium nullitatis processus ac sententiæ; beneficium item restitutionis in integrum. Rauchbar. p. 2. q. 8. n. 52. Est & in Camera Imperiali

F

ultra-





usitata *Revisio actorum*, quâ causa resuscitari videtur.  
*Ord. Cam p 3. tit. 53. Bender. tr. de revision.*

### Solutiones.

Proposita non tam labefacere, quàm penitus infringere, & evertere thesin nostram videntur, ad accuratiorrem tamen rationis amissim si expendimus, nihil dissidii inesse apparet.

Respondemus

Ad (1.) Quod restitutiones in integrum nostræ hypothese nequaquam adversentur, supra in solutionibus antithesium capitis II. *membr. 1. n. 8.* docuimus. Nec facit, quòd hodiè ordinaria juris sint remedia & nemini deneganda: Inde enim factum hoc est, quòd præter Prætoriam, etiam Civilem & Canonicam vitam nactæ sint, Christianæ fidei articulis, (si qua tandem in iis admittenda esset resuscitatio) non repugnent, hodieq; potior æquitatis, quàm stricti juris, in similitudine & convenientiâ naturæ fundati, ratio habeatur.

Ad (2.) Respondetur, quod illud juramentum, die *Stephæd*/non simpliciter de omni vindictâ, sed de privatâ seu extrajudiciali sit exaudiendum, non de vindictâ publica, quæ fit mediante viâ juris, actionem sc. intentando: *P. N. D. art. 20.* Quo casu non potest resuscitari, cui nondum renunciatum, nec mori contigit. Ne tamen forsitan tenerior conscientia superstitiosâ perjurii imaginatione angî possit, tutius est juramenti relaxationem impetrare, atque expressâ superioris jussione injuriam sibi illatam vindicare. Utrum autem, si quis metu, vi, dolove ad jurandum est compulsus & inductus, ejusmodi juramentum ipso jure sit nullum; an verò etiam absolutione opus habeat? vide sis *Gail. 2. O. 42. M. 1. & seqq. Donell. lib. 21. c. 13 post med. med. NS. tit. 122.* & alios quos citat *Berlich.*



lich. p. 2. conclus. 44. n. 25. Præterea per absolutionem illam non tam resuscitatur jus agendi, quam aufertur exceptio jurisjur. quæ acturo opponi poterat. Id. d. conclus. n. 31. in fin. adeo ut planè non juratum videatur.

Ad (3.) Dubium idem dicendum venit, quòd videl. per posterius pactum prioris pacti exceptio elidetur, actioq; nunquam extincta videatur.

Ad (4.) Hic itidem non resuscitatur de jure civ. actio; Teneretur enim ad impletionem transactionis, aut ad interesse; sed ex æquitate Prætoria priorem actionem intendere actori permittitur, ad hoc, ut elisâ eâ per exceptionem transactionis, replicatione doli mali, d. l. 10. C. de transact. aut replicatione in factum, & ita obliquè consequatur, quod directò per actionem consequi non poterat. Magnif. Dn. Struv. Ex. VI. ih. 65.

Ad (5.) Ibi non est concursus actionum alternativus, sed successivus, concessæ enim sunt in favorem legatariorum & ultimarum voluntatum tres eæ actiones, Rei vindicatio, personalis ex testamēto, & Hypothecaria. l. 1. C. Commū de legat. ut eò magis legata obtineri possint, & exitum habeant ultimæ voluntates, adeoq; non est in eorum odium detorquendum; quod fieret, si per unius electionem altera extingueretur: mortua E. non fuit actio ex testamento, Ergò etiam per consequens non resuscitatur d. casu: Juri n. nondum nato non potest præscribi, & actio, quæ nunquam in rerum natura fuit, ne quidem amitti potest. At verò, quando heres nondum est possessor, nulla adversus ipsum competit rei vindicatio, ergò nec electione actionis personalis consumi aut amitti potest: non entis nulla prædicata.

Ad (6.) Tantum abest, ut resuscitetur probandi facultas, ut potius nondum mortua censeatur; terminus



enim eo casu non currit. Dn. Carpz. *in proc. tit. 13. art. 5. n. 129.* quoniam causæ rationabiles veniam merentur. *l. 53. §. 2. ff. de re jud. & ad impossibile nemo obligatur. Gail. r. O. 142.* difficultas etiam & justum impedimētum à morâ excusat. *Gloss. in l. 5. ff. si cert. pet.* quod E. in poenam negligentiae & contumaciae introductum est, eâ ratione cessante obtinere non potest. Carpz. *d. l. n. 106.* maximè ubi favor causæ accedit. *arg. l. 1. soluz. matrim.* aut negligentia Judicis, quæ partibus nocere non debet. *l. 24. ff. de his quæ infr. cred.* & tandem succurrendum est probationi, ne pereat, *l. 22. ff. de testib.* atque ita bona causa malè agendo perdat.

Ad (7.) Dubium refer ea, quæ ad dubium i. h. & a. libi diximus.

Ad (8.) Respondetur quod tota causa non decidit, quamdiu adhuc superest facultas jura sua ulterius deducendi. Hinc etiam procurator ad totam causam peragendam constitutus, si contra eum iniquè lata fuerit sententia, ab illâ non solum appellare, sed etiam appellationem proseguere tenetur. *l. 27. C. de procurator. arg. l. 3. §. 2. D. de neg. gest.* Et sic non potest dici quod resuscitetur. Multò minus per *remedium nullitatis*: Quando enim demonstratur, processum aut sententiam suâ formâ carere, non potest dici quod resuscitetur, quod tanquam inanimatum nec vitæ nec mortis prædicatum hæcenus habuit. Nec *revisio* resuscitandi medium est; eò enim ipso, quod revisionem introduxerunt, lites & causas aliter non pro extinctis haberi voluerunt, quàm si remediò revisionis, quis uti non velit. Sententiâ verò Cameralium per Revisores confirmatâ, demum ad executionem, amputatò omni auxiliò proceditur. *O. C. p. III. tit. 53. §. 10.* Imò hodiè juxta R. J. Ratisb. de Anno 1654. §. 124.

sen-



sententia lata non obstante revisione mandatur execu-  
tioni, adeoque planè non resuscitatur causa: Quod si ve-  
rò postmodum corrigatur sententia, causa tamen non  
tam resuscitatur, quàm mortua nunquam creditur, idque  
beneficiò cautionis, quam interponere debet, quicumque  
revisionem petit.

## Supplementum.

Cap. III. Sect. I.

### De Judiciis.

Q uamvis finitum per sententiam judicium redinte-  
grare, suaq; jura ulterius deducere per introducta  
in hunc finem remedia concessum sit; illis ipsis  
tamen remediis suspensivis & devolutivis, *Supplicationi*  
*videl. Leuterationi & Appellationi* sua quoque data sunt  
fatalia. † Intra decendum enim à latâ sententiâ si non  
interponuntur, intraq; alia fatalia (omnia, quia tempus  
pro forma & anima datum est. Rauchbar. q. 3 n. 7.) quæ  
fieri debent, ritè expediuntur, expirant. Dn. Carpz. *proc.*  
*tit. 49. l. 1. n. 102.* † Et insuper etiam Leuterans & appel-  
lans in expensas retardati processûs condemnatur. *ibid.*  
*n. 107. & tit. 48. art. 6. n. 125.* † Nec resuscitare Leuteratio-  
nem & evitare poenam restitutionis expensarum potest,  
licet ex actis forsan appareat justam subfuisse leuterandi  
aut appellandi causam. Carpz. *d. l. n. 105.* † Sicut etiam  
contra rem judicatam quæ conceditur *restitutio in inte-*  
*grum, querela nullitatis, & revisio actorum,* Gail. *l. 1. O. 153.*  
ad certum saltem tempus vivunt. † Nam *restitutio* post 6.  
quadriennium à tempore cessantis impedimenti quasi  
mortua resuscitari nequit. *l. ult. C. de temp. integr. rest.*

F 3

† Nec





8. † *Nec querela nullitatis*, de J. Civ. post 30 annos, & de J. Sax. à latâ sententiâ, Etiam si nullitas sit evidens atque ex actis notoria. Carpz. *Proc. tit. 19. art. 3. p. 9. & seq.* † *Nec revisio* post quatuor menses. *d. R. J. de anno 1654. §. 125.*

## Antitheses.

1. *Leuteratio*, quæ per neglectionem termini prosecutionis quasi deliquium patitur, refociliatur, & resuscitatur in termino per excusationem & allegationem justî impedimenti. Carpz. *In Pr. tit. 17. art. 1. n. 116.* & licet præterlapso termino penitus expiraverit, adhuc tamen admittitur leuterare volens, si in carcere detentus id facere non potuerit, vel propter incursum hostium, carentiam advocati, pestem, morbum fonticum leuterare impeditus fuerit.

2. *Appellatio* præter Leuterationis resuscitandi modos peculiariter vitam recipit beneficio restit. in integrum. *l. 7. §. ult. ff. d. minor.* præsertim si culpâ procuratoris, qui solvendo non est, diem suum obiit. *Gail. l. 0. 143. n. 6.* Resuscitatur etiam per provocationem à sententiâ desertionis. *Id. d. lib. 0. 138. per tot.* & per aliam justam excusationem. Carpz. *Proc. tit. 18. art. 5. n. 55. & seqq.* Et si ulterius appellari non potest, superest adhuc intra decennium condemnato facultas supplicandi ad revidenda acta & emendandam sententiam appellationis. *l. 1. de sent. præf. præf. l. 5. & Auth. quæ supplicatio. C. de præf. Imp. off.*

3. *Restitutio integrum* utut quadriennio elapso expiraverit, tamen si damnum eminentissimum, læsiq; enormissima subsit ac doceatur, aut alia causa demonstratur, quam rationabilem & sufficientem iudex arbitretur, resuscitatur. *c. 1. de restit. in integr. in 6.*

Solu-



## Solutiones.

Ad (1. & 2.) accommodari poterit, quod ad n. 6. responsum dedimus, quod videl. iusta impedimenta cursum lapsumq; fatalium remorentur, quò minus *Leuseratio* aut *Appellatio* pro desertis habeantur, morianturque. At verò morte cessante resuscitatio non est opus. Et sic object. hæ unâ, quod dicunt, testâ dealbantur.

Ad (2.) Provocationem à sententia desertionis quod concernit, eam admitti nec posse nec debere, solidè multisq; rationibus, contrariam rejiciendo contra Gail. deducit Rauchbar. p. 1. q. 14. per tot. *Supplicationis* beneficium saltim ex gratiâ Principis seu Superioris, & extra ordinem conceditur, & non sicut appellatio ratione iustitiæ pro depellendo gravamine competit. Rosbach. *prax. civil. tit. 76.*

Ad (3.) Restitutionis extinctæ resuscitatio non fit J. Civ. sed J. Canonico ex principiis fidei Christianæ. Deinde quadriennium illud ignoranti & impedito non currit, quia tempus hoc quadriennii est ab initio utile, licet postquam ceperit currere, sit continuum *l. ult. C. de temp. in integr. rest.*

Tantum,

Deo solo Laus & gloria.

---

Ad benignum Lectorem  
*EPILOGVS.*

**I**terati de regressu promissi adhuc memor, hoc solum doleo, quòd hætenus variis negotiis distractus illud effectui dare nequiverim. Et quamvis publicâ functione nondum conspicuo mihi impedimenta causanti  
fidem



12337

fidem admodum difficulter adhibebis; provoco tamen  
adeorum, qui meâ qualicunq; conversatione utuntur, te-  
stimonium, me vix esse meum. Quapropter ne vadi-  
monium planè deseruisse, vanâ que spe alios ludere volu-  
isse videar, aliis, ut vicem subeant meam, autor fui. Et  
quidem quod hunc *de privatione ad habitum Regressum* at-  
tinet, debes ejus elaborationem Præ-Eximio atque litera-  
tissimo Domino *Georgio Gellert*, Zizensi Misnico, Fauto-  
ri atque sectatori meo strenuissimo, qui ex hac Academia  
discessurus, somnia hæc mea in se recepit interpretanda.  
Quod si benè cesserit opus, Tibique, Benevole Lector, ar-  
ridet, ad alia quoque animabimur. Interea tuo candori  
& favori & me & Dn. Respondentem, divinæ autem Pro-  
tectioni nos omnes commendo. Vale, & erra-  
tis typographicis veniam relinque.

FINIS.





ULB Halle 3  
005 132 55X



V097

neu A + B3


Alle OC











1665/9<sup>6</sup> 20.  
A3

J. J.  
An detur

RESUSCITATIO  
MORTUORUM,

Problema Juridicum

ADRIANI BEIERI

U. J. D. curâ  
*emissum*

JENÆ,

Typis & Sumtu GEORGII SENGENWALDI,  
ANNO M. DC. LXV.

